

DISPUTATIO II.

DE PECCATO PERSONALI.

CAPUT I.

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

ARTICULUS I.

AN INTER MORTALE ET VENIALE PECCATUM SIT DISCRIMEN?

33. *Nota I.* Ex effectu traxit nomen utrumque peccatum. *Mortale* dicitur, quod mortem animæ, gratia eam seu vita supernaturali privando, affert, et peccantem justo Dei odio pœnaque æterna per se dignum facit. *Veniale*, quod facile veniam meretur ex eo, quod non afferat mortem animæ, nec pœna æterna sit dignum. Propriam hanc ac realem venialis usurpationem esse, Catholici jam universi sentiunt, vocantque hoc *veniale ex natura sua*, ad distinguendum a *veniali ab eventu*, quod dicitur illud, quod condonatur: et a *veniali ex causa*, seu illo, quod aliquo modo venia dignum est, quia ex ignorantia vel passione commissum; ut nonnunquam a sanctis Patribus, præsertim SS. AMBR. et AUG. usurpatum est, qui postremus etiam mortale nomine criminis, veniale nomine peccati in Enchir. c. 64. expressit.

34. *Nota II.* *Jovinianus* et *Pelagius* omne discrimen negabant; et ille quidem dicebat quæcumque peccata pœna æterna puniri; hic vero quolibet peccato justitiam amitti. Hinc cum negare non posset plures esse justos, homines sine omni prorsus peccato in hac vita vivere posse contendit, ut S. HIER. in Dial. cont. Pelag. et S. AUG. L. de hæres. c. 88. referunt. Similiter docebant quidem *Wicleffus*, *Lutherus* et *Calvinus*, peccata omnia ex natura rei esse mortalia et pœnam mereri æternam: de facto tamen et in actu secundo penes quosdam, ob conditionem extrinsecam peccantis aut Dei imputantis, esse venialia.

Et *Wicleffus* quidem, teste Waldensi Tom. II. de Sacram. c. 54., peccata reproborum omnia mortalia, electorum non nisi venialia dixit.

Lutherus voluit peccata infidelium esse mortalia, et imputari a Deo ad pœnam æternam, fidelium autem venialia et non imputari, sed condonari, præter incredulitatem seu peccatum infidelitatis; ut ex assertion. omnium Artic., et L. de Captiv. Babyl. ac alibi colligitur.

Calvinus partim convenit cum *Luthero*, dum L. 2. Inst. c. 8. §. 39. et L. 3. c. 4. §. 28. scribit peccata fidelium esse venialia ex Dei misericordia, et non imputari : partim cum *Wicleffo* et *Joviniano*, dum L. 3. Inst. c. 2. §. 11. cum postremo docet fidem esse donum electorum non amissibile, et inde cum priore deducit, peccata electorum esse venialia.

His prope accesserunt Catholici olim nonnulli, nempe *Gerson*, *Almain*. et *Joannes* Ep. Rossensis, qui affirmabant peccata omnia de se, si districte iudicemus, esse mortalia et mereri poenam aeternam; ex benignitate tamen Dei factum, quod quaedam peccata censeantur venialia, neque expellant gratiam aut poena aeterna puniantur. *Michaelis Baii*, peccatum veniale ex natura sua negantis, propositionem damnatam infra recitabimus. Ex triplicis hujus erroris refutatione verum et reale discrimen inter peccatum mortale et veniale elucescet.

35. *Dico I.* Dantur quaedam peccata proprie venialia, nec omnia sunt mortalia. Est de fide.

Prob. Ex SCRIPTURA. I. Quia dantur peccata, quae justis ita inhaerent, ut propterea non desinant esse justis. Talia sunt, de quibus sermo est Prov. 24. v. 16. *Septies cadet justus, et resurget.* Eccl. 7. v. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Jac. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* Quae certe de omnibus et de seipsis ab Apostolis dicta referri ad mortalia nequeunt.

II. Quia peccata quaedam sunt, quae non puniuntur aeterna poena. Ejusmodi sunt, propter quae quis Matth. 5. v. 22. dicitur *reus iudicio* aut *concilio*, cum alter dicatur *reus gehennae*. Item quae quis 1. ad Cor. 3. v. 12. *superaedificat* tanquam *lignum, fenum et stipulam*, et tamen dicitur *salvus fore, sed quasi per ignem*.

III. Quia peccata quaedam comparantur rebus levissimis, *festucis* Luc. 6. v. 41. *culicibus* Matth. 23. v. 24. *stipulis et feno* 1. c. ad Cor., cum alia ibidem *trabibus, camelis, veri* conferantur.

Prob. Ex TRADITIONE. I. Conciliorum. Milevit. Can. 7. (Labb. t. 2. p. 1339.) sic loquitur : *Item placuit, ut quicumque dixerit in oratione Dominica ideo dicere sanctos : Dimitte nobis debita nostra; ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum : Dimitte mihi debita mea, sed : Dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit.* Similia extant Can. 6. et 8. Concordat Conc. Trid. Sess. 6. c. 11. *Licet in hac mortali vita quantumvis sancti et justis in levibus saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant; non propterea desinant esse justis. Nam justorum illa vox est humilis et verax : Dimitte nobis debita nostra.*

II. Patrum. S. Aug. eadem in haec verba *Dimitte nobis debita nostra*, commentatur, cont. 2. epist. Pelag. ad Bonifacium, L. 1. n. 27. 28., L. 3. n. 13. 16. 17., L. 4. n. 17. 27., Id. Tr. 12. in Joann. n. 14., S. Hieron. in Dial. 2. cont. Pelag. n. 4. ubi utitur sententia Ps. 31. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno : Si sanctus est, inquit, quomodo orat pro iniquitate? Si iniquitatem habet, qua ratione sanctus appellatur? Juxta illum videlicet*

modum, qui et in alio loco scribitur : septies cadet justus, et resurget. S. CYPRIAN. L. de orat. Dom. n. 22. et L. de opere et elemos. n. 3., HILAR. in Ps. 118. Tract. 6. n. 6., GREGOR. NAZIANZ. Orat. 5. (in Julian. 2.) n. 33. et Orat. 43. n. 28., GREGOR. NYSS. de orat. Dom. hom. 5. (opp. t. 1. p. 756. C. D.), PAULIN. NOL. ep. 50. (al. 2. in append. n. 6.), FULGENT. L. de Incarn. Filii Dei, n. 39. 40. et seqq., PROSPER AQUIT. in Ps. 103. v. 18. et in Ps. 103. v. 48., GREGOR. M. Dial. L. 4. c. 39. Aliorum Patrum testimonia plurima vide apud SUAREZ hic et BELLARM. de amiss. Gratiae L. 1. c. 5. et seqq.

Prob. Ex RATIONE. I. Mortale tollit vitam animae per hoc, quod quis malit offendere Deum, quam carere bono concupiscentiae suae; sicut vita animae intelligitur in hoc, quod quis malit carere omni bono creato, quam Deum offendere : et poena aeterna dignum est, quia est aversio a Deo. Atqui multa sunt peccata, v. g. otiosum verbum, animi inter orandum distractio, ira, aut damnificatio proximi levissima, cum quibus non est is animus, et quae etiam non sunt aversio a Deo, cum non repugnent charitati, ut D. TH. 1. 2. q. 87. a. 5. et p. 3. q. 86. a. 4. ostendit; ergo.

II. Dantur inter homines offensae leves, quae amicitiam non dissolvunt; imo hoc amicitiae ratio exigit, ut leves ac inter amicos vix evitabiles offensiunculae amicitiam non dirimant; ergo et inter Deum ac homines admitti aequum videtur; tum quia minus evitari forsitan posse videntur ab homine offensae contra Deum omnes, siquidem et justum septies in die cadere Scriptura testetur : tum quia amicitia Dei est moraliter conservabilis; non esset autem, si per quamcumque offensiunculam etiam semivoluntariam solveretur.

III. Alienum omnino videtur ab infinita Dei sapientia aequae ac misericordiae, Deum graviter adeo per verbum otiosum, risum immoderatum etc. offendi, ut hominem, licet justum et amicum, aeterno mox odio ac poena dignum iudicet. Certe justitia humana morti eum non addicit, qui per levem v. g. negligentiam domum incendit, licet illud supplicium in eum decernat, qui ex industria id fecerit; cum tamen secundum adversarios utrobique commissum sit peccatum mortale et idem damnum illatum. Ecce ergo justitia divina, quae humanae regula est, reum mortis iudicare censenda sit tam eum, qui jocosae mentitus fuerit; quam eum, qui pejeravit? qui blasphemavit?

36. *Dico II.* Peccata venialia non sunt talia propter extrinsecam conditionem aut peccantis hominis, aut Dei non imputantis. Est de fide.

Prob. 1^a pars. I. cont. Wicleffum et Calvinum. Praedestinati possunt peccare mortaliter, et reprobi venialiter. Nam Adam, David et Petrus Apostolus fuerunt praedestinati; sed hi peccarunt mortaliter. De Adam quidem testatur Genes. 2. v. 17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Ad Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* De Davide Psalmus 50. ubi inter caetera dicit Propheta : *Tibi soli peccavi et malum coram te feci.* Et : *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Item : *Redde mihi laetitiam salutaris tui.*

Nec obstat, quod addat : *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*

Id enim non indicat Spiritum gratiæ sanctificantis mansisse in Davide peccatore; sed significat, quod gratiæ Spiritus denuo coeperit esse in penitente, cum ei penitentiam inspiraverit. De quo vid. S. AMBROS. Apologia David 1^a. c. 15. et S. AUG. in Ps. 50. n. 16. etc. De Petro testantur lacrymæ Matth. 26. et S. AUG. Tr. 66. in Joan. n. 2. ac ipsum etiam factum, nempe negatio Christi, quam nemo prudens a mortali culpa excusare potest. E contrario potest reprobis jocose mentiri, aut otiosa proferre verba; quæ mortalia peccata dicere, nulla ratio aut fundamentum adest.

Conf. Sententia hæc erronea supponit errorem alium, scilicet reprobis nullum peccatum vere remitti, contra veritatem et necessitatem sacramentorum Baptismi ac Penitentiae: facit, ne cognosci possit, quodnam sit peccatum mortale; cum constare nequeat, quinam reprobis aut prædestinatus sit: dat licentiam prædestinatis impune adulterandi, fornicandi, pejerandi etc. cum tamen Apost. 1. ad Cor. 6. dicat: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri etc., regnum Dei possidebunt.*

II. Cont. Luth. et Calv. iisdem argumentis. Nam Adam et David etiam fuit fidelis, et Petrus præterea renatus: Error hic supponit alios, scilicet peccatum mortale posse esse in justo, conservata ejus justitia, contra Paulum ad Rom. 8. et totam Canonicam primam Joannis: Item peccato nullo, nisi infidelitate, justitiam amitti, contra sententiam (Matth. 25.) judicis eos etiam condemnantis, qui opera misericordiae non fecerint, et Paulum inter opera carnis a regno Dei exclusura etiam luxuriam, ebrietatem, homicidia etc. l. c. numerantem.

Conf. SCRIPTURA ET PATRES distinguunt peccata inter se non ex personarum conditionibus, sed velut ex ipsarum actionum merito: præterea peccata Christianorum, cæteris paribus, censent graviora propter majorem scientiam et beneficia accepta, ut ex c. 6. et 10. ad Hebr. clare colligitur et asseritur a Sanctis.

Prob. 2^a pars, quam Conc. Trid. Sess. 6. Can. 25. his verbis definit: *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.* Quia dicere peccatum veniale esse tale, quia Deus non imputat, licet in se mortale sit, est imprimis contra justitiam Dei et ea Scripturæ loca, quæ peccantibus dignas minantur pœnas: deinde est contra bonitatem Dei, et Scripturæ textus, quibus dicitur Deus odisse impium et impietatem ejus: demum est contra justorum innocentiam, quam Scriptura sæpius prædicat.

Conf. Si ex imputatione Dei aliquid est peccatum; ergo ideo Deus offenditur, quia ipse imputat peccatum et offensam, et consequenter, quia vult offendi; ab altero autem non offenderetur, quia non vellet ab eo offendi, si illi non imputaret. Atqui hoc non videtur in Deum cadere posse; ergo. Accedit, quod Deus prudenter et juste non aliter imputare possit peccatum, quam reipsa imputabile est.

37. *Dico III.* Peccata venialia sunt talia ex natura sua. Sequitur ex præcedentibus, et est contradictoria propositioni inter damnatas a Pio V. et

GREG. XIII. Baianas 20. : *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Conf. 1. Juxta Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. et sensum universæ Ecclesiæ peccata quædam, nempe mortalia, necessario sunt exponenda in confessione: quædam vero, scilicet venialia, utiliter quidem, sed non necessario aperiuntur. Atqui si omnia ex natura sua essent peccata mortalia, quædam autem ex benignitate tantum venialia, vel omnia forent necessaria confessionis materia, vel penitentes nescirent, quænam reticere possent; quod utrumque est absurdum et menti ac fini Concilii ac Ecclesiæ repugnat; ergo.

Conf. 2. Quod peccata, quæ ex natura sua non sunt venialia, censeantur ex benignitate Dei talia, potest dupliciter intelligi; primo, quia revera habent turpitudinem mortalibus propriam, quam Deus tamen in illis dissimulat; et in hoc sensu coincidit cum sententia hæretica num. præced. rejecta: secundo, quod hæc peccata ex se sint apta ad talem turpitudinem; quia posset Deus, si vellet, obligare hominem, ut sub reatu culpæ mortalis vitaret ea peccata, quæ nunc sunt venialia: illam tamen turpitudinem in his jam non inveniri, quia Deus noluit ita hominem obligare. Sed hic sensus falsus est.

Nam ex natura rei præcepta Dei non magis minusve obligant, quam ipsis rebus et actionibus sit consentaneum; cum hoc tribuendum sit divinæ sapientiæ, sanctitati et justitiæ. Præterea non ideo negandum esset, peccata quædam ex natura sua esse venialia. Præceptis enim positivis non fiunt ea, quæ mortalia sunt, venialia; sed potius e contra, quæ ex se non nisi venialia sunt, ob legis obligationem mortalia evadunt; sicut de se indifferentia sub mortali aut veniali peccato prohiberi possunt.

38. *Obj. I.* Scriptura de peccatis indefinite pronuntiat, quod peccantem faciant morte dignum; ergo.

R. D. Pronuntiat hoc de omnibus mortalibus C. de peccatis quibuscumque et generatim N. Distinctio clarior fiet ex celebrioribus textibus, qui maxime afferuntur.

1^o. Deuter. 27. dicitur: *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus.*

R. Agitur hic de eo, qui non observat præcepta, quorum eodem cap. mentio est facta. Prohibentur autem ibi idololatria, homicidia et similia, quæ ex natura sua sunt mortalia, et maledictionem utique inducunt. Eadem responso repetitur ad v. 10. c. 3. ep. ad Galat. qui eandem sententiam repetit.

2^o. Ezech. 18. v. 4. dicitur: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.*

R. Et hic sermo est de mortalibus ibidem enumeratis. Præterea refellit Propheta hæc enuntiatione querelas Judæorum, qui se puniri dicebant ob peccata non sua, sed parentum. Unde verba illa hunc sensum habent: quisque ob proprium suum, non alienum delictum pœnas feret; ideoque v. 20. sic legitur: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii etc.*

3^o. Ad Rom. 6. v. 23. dicitur: *Stipendia peccati, mors.*

R. Manifestum est, hæc referri ad v. 19. ubi de peccatis ex genere suo mortalibus sermo fuit: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati etc.* Adde toto hoc cap. agi de peccatis, quæ pugnant cum gratia,

tanquam animæ vita, adeoque mortalibus; cum per venialia, ipsis *Luthero* et *Calvino* testibus, vita animæ non excludatur.

4^o. *Jacob. 2. v. 10.* dicitur: *Quicumque totam legem servaverit, offendet autem in uno, factus est omnium reus.*

R. Sequitur *v. 11.* *Qui enim dixit: Non mæchaberis, dixit et: Non occides. Quod si non mæchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Ex quo constat Apostolum loqui de peccatis gravibus. Ubi vero *c. 3. v. 2.* ait: *In multis offendimus omnes; satis declarat se agere de venialibus, cum mox subjungat: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Ostendit enim se verba facere de ea offensione, quæ perfectioni opponitur: non autem, quæ charitati, quæ finis legis est, hujusque integritati repugnat; ut in primo dicitur.

5^o. *Matth. 5. v. 19.* dicitur: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, ... minimus, hoc est, nullus vocabitur in regno cælorum.*

R. Contextus hunc sensum reddit: qui solverit mandata, quæ sunt de internis odiis, concupiscentiæ motibus etc., quæ mandata videri possent, et Phariseis videbantur minima, ille nullus erit in regno cælorum; eo quod et hæc mandata servare oporteat, contra ac Pharisei hactenus fecerant et docuerant. Alii, cum addantur priori commati hæc verba: *et docuerit sic homines,* interpretantur in hunc sensum: qui prava interpretatione corrumperit verbum Dei, et docuerit, ibi non esse peccatum, ubi tamen subest; ille nullus erit in regno cælorum, quia scilicet, id faciendo, mortaliter peccat.

Inst. 1. Cum dilectione Dei *ex toto corde,* quæ *Matth. 22.* præcipitur, pugnat omne peccatum; peccans enim diligit aliquid præter Deum, imo oppositum Deo. Ergo omne peccatum est mortale, quia *1. Joan. 11. v. 14.* *qui non diligit, manet in morte.*

R. *D. A.* Pugnat cum dilectione actuali *C.* habituali *N.* Habitualis dilectio hic intelligitur, qua quis erga Deum ita animo est comparatus, ut malit omnia alia, quam Deum, amittere: actualis sumitur pro actu amoris Dei a pia voluntate elicto. Præcipitur quidem in textu laudato amor habitualis, non autem actualis, saltem pro omni tempore; utpote qui in mortali hac vita impossibilis est. Cum habituali autem amore stare posse peccatum leve satis manifeste colligitur ex Scripturis, quæ testantur *L. 3. Reg. 14. Davidem,* et *4. Reg. 23. Josiam toto corde secutos esse Deum: Zachariam item et Elisabeth, Luc. 1. ambulasse in omnibus mandatis et justificationibus Domini;* quibus tamen absque dubio convenit illud Joannis: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Et illud Jacobi: *In multis offendimus omnes.*

Inst. 2. Minimum opus bonum meretur vitam æternam, ut patet ex illo *Matth. 10. Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, ... non perdet mercedem suam;* ergo et minima peccata merentur poenam æternam. *Conf. Joan. 13.* Christus Petro ait: *Si non laveris te, non habebis partem mecum.* *S. Aug.* autem in hunc locum (*Tract. 56. in Joan. n. 4.*), et *S. Bernard.* serm. in cœna Dom. n. 4. (*opp. t. 1. p. 891.*) per lotionem pedum intelligunt purgationem a venialibus; propter verba præsertim sequentia: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Ergo etiam venialia a regno Dei excludunt, et sic mortalia esse cognoscuntur.

R. *T. A. N. Cons.* Nam *1.* non dicitur: vitam æternam possidebit; sed: *non perdet mercedem suam.* Ergo et male inferitur: veniale meretur poenam æternam; sed sequitur tantum, non futurum sine poena, quod omnino concedimus, quin tamen æternam admittere necesse sit. *2.* Dare minimo operi supernaturali maximum præmium ingens liberalitas et misericordia est, quæ Deo convenire potest: dare autem peccato minimo maximam poenam injustitia et credulitas est, quæ cadere in Deum nequit. *3.* Dare calicem aquæ frigidæ ex charitate ob dignitatem gratiæ opus magnum est et meritorium vitæ æternæ: huic autem operi opponi non debet veniale, quod stat cum charitate, sed mortale illi repugnans.

Ad Conf. R. 1^o. D. Cons. Excludunt a regno Dei perpetuo et ex natura sua *N.* solum ad tempus, donec scilicet sint abstersa, et quia *nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum,* ut *Apoc. 21.* dicitur *C.*

R. 2^o. N. Cons. Si enim *antecedens* sumatur cum *S. Basilio* (*Procem. de judic. Dei, n. 7. opp. t. 2. p. 221.*) in sensu litterali de materiali pedum lotionem, ita ut notetur inobedientia Petri nolentis permittere, ut lavarentur sibi pedes; sermo est de peccato mortali, et male descenditur in *consequente* ad peccatum veniale.

Inst. 3. Christus *Matth. 5. 22.* non loquitur de venialibus, sed de diversis generibus mortalium; nam *reus judicio* et *reus concilio* apud Judæos reus erat criminis capitalis.

R. Textum hunc *Chrysost.* in *Matth. hom. 16. n. 8.* (*opp. t. 7. p. 215. B.*), *Greg. M. L. 21. Mor. c. 5.* apud *Suar.* hic, *disp. 2. sect. 4. n. 4.* adhibent ad ostendenda peccata venialia, et inde recte probant; quia Christus antea dixit: *Audistis, quia dictum est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio; Ego autem dico vobis etc.* Distinguit ergo poenam a judicio vel concilio inflictam a *gehenna;* quia poena licet capitalis inflictam ab hominibus est temporanea, *gehenna* æterna. Male itaque Hæretici dicunt *gehennam* fuisse poenam apud Judæos usitatam; quia Christus eam alias non distinguere potuisset ab ea, quæ a concilio decernebatur, cum hoc judicaret de causis gravissimis, neque eo superius tribunal apud Judæos esset: quare dicendum per *gehennam* fuisse significatam poenam, cui nulla ab hominibus illata comparari potest.

Inst. 4. Verba otiosa sunt peccata mortalia, quia *Matth. 12.* dicit Christus: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Si autem reddent rationem, etiam ob illud damnari possunt, nam Christus addit: *Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis condemnaberis.*

R. *S. Hier.* aliquando quidem doctrinas vanas et contra fidem erroneas vocat verba otiosa: Christus tamen hic juxta communem Interpretum loquitur de verbo pure otioso et jocosum, et ita leviter malo; quod etiam non impunitum manebit, nisi pro eo sit satisfactum. Unde *1^o* non meretur mortem ex eo quod de eo sit reddenda ratio in die judicii. Nam hæc poterit dari, quin illud peccatum puniatur post extremum judicii diem, conscientia scilicet ibidem testatura, quod pro verbo etiam otioso poenam vel satisfactionem homo subierit, vel adhuc præstanda restet in damnandis. Nec *2^o* ex eo quod Christus addiderit: *Ex verbis tuis justificaberis etc.* Nam per hæc non intelliguntur verba otiosa, sed ea quibus homo rationem reddet in judicii